



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Croesvs Et Codrvs. hoc est, Copiæ Et Inopiæ Damna vel  
Lvcra, à bono iustoq[ue] Mundi Gubernatore Deo  
Distribvta**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1648**

§. 3. Pauperes non solùm diuitibus esse beatiores, sed vitæ huic nostræ  
omnino necessarios.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52359)



ro inde rustico instrumento, discessisse. Ideoq̄,  
petere, ut sibi successor mitteretur, ne deserto  
agro non esset, unde vxor ac liberi sui alerentur.  
Qua postquam senatus à coff. accepit, & agrum  
Atilij illico colendum locari, & alimenta coniu-  
gi eius ac liberis praberet, resq̄, quas amiserat, re-  
dimiti publicè iussit. Tanti arario nostro vir-  
tutis Atiliana exemplum, quo omnis etas Rom-  
ana gloriabitur, stetit.

## S. III.

*Pauperes non solum diuitibus esse beatiores, sed  
vita huic nostra omnino necessarios.*

En quò venerunt, apud Ethnicos, sapi-  
entes? quod alij ignominiam putant, in eo  
gloriantur, neque enim, ut ille piger, men-  
dicare erubescunt: neque se reprehendi cen-  
sent, cum pauperes vocantur. Hinc, teste  
Antonio in Melissa, Aristides diuiti, sibi pau-  
periem obiectanti, respondit: *Mihi quidem  
nihil adferet mali paupertas, tibi verò diuitia  
non paucas perturbationes.* Existimarunt igitur  
isti, utique beatius esse perturbationibus  
his carere. Quin & Democritus dictitabat,  
*Pauperis conditionem diuitis multò beatiorē  
esse. Pauperes quippe maximis malis non infe-  
stantur, ut insidijs, odio, inuidia, quibus diui-  
tes quotidie expositi sunt.* Vnde meritò paupe-

Luc. 16. 3.

Antonio  
in Melissa  
part. 1.  
serm. 33.



res & sapientiæ, & Reipublicæ meliùs vacare possunt, quia quietiores. Aristoteles aiebat: *paupertatem multis quidem indigere, inexplebilitatem autem omnibus.* At qui paucioribus indigent, sunt ditiores. Quare, eodem Antonio in Melissa teste, dixit Democritus cuidam de paupertate sua querenti, *Si non multa desideres, pauca tibi multa videbuntur. Desiderium enim contractum paupertatem diuitijs equipollentem reddit.* Quid, quòd pauperes isti Mundo sunt necessarij, vt sine ijs viuere non possemus? Quis araret, si nemo indigeret? quis oues tonderet, quis boues pasceret, si omnes Midæ essent? Quis texeret; quis calceos, quis vestes fueret, quis domos, quis vrbes ædificaret, quis vllam artem mechanicam exerceret, si omnes satis haberent? Immo si non essent, qui seruirent, quis dominaretur? Quis naua, quis auriga, quis auceps, quis piscator, quis mercator esse vellet, si quisq; Prætor, si Imperator esse posset? Enim verò quis posset esse Imperator, si nemo inueniretur, qui vellet imperari? Numquã Cræsus in piltrino fuit, numquam messuit Sardanapalus. Seruus & dominus pariter ponuntur & coluntur. *Magister artis venter est. Multa excogitat fames.* Et, vt Mimus ait, He-



*Hominem experiri multa paupertas docet.*  
 Vel quemadmodum alius canit, *Ingenium*  
*mala saepe mouent.* Quin Maronis testimo-  
 nio, *labor omnia vincit*

*Improbis, & duris vrgens in rebus egestas.* Virgil.  
 Ingenuosa ergo est paupertas, & artium ma-  
 ter, quibus plurimis careremus, si in Mun-  
 do paupertas deesset. Desineret industria ci-  
 borum; deficeret medicina; non haberen-  
 tur vestimenta, omnis, seu ad necessitatem,  
 seu ad elegantiam spectans, supellex tollere-  
 tur. Non essent pagi, non oppida, non com-  
 mercia; non indigentia & mutuò suppedita-  
 ta auxilia; non potentia, non obedientia;  
 non vlli ordinum gradus, non magistratus;  
 non ciues; non rustici; non Respublica: sed  
 mirabilis quædam perturbatio; & in opti-  
 marum occupationum vicem, succederet o-  
 tium, & à laboriosis operibus pigra cessatio;  
 atque turpe quoddam chaos permistum,  
 omni genere nefandorum; hominesq; pe-  
 cudum more, sine industria, sine arte, sine  
 lege, sine capite victitarent. Vnde vel Ethni-  
 ci viderunt, paupertatem esse quoddam bo-  
 num Vniuersi, cui in acceptis referendum,  
 quidquid fere est in rebus humanis, vtile, ne-  
 cessarium, pulchrum, quod labore constat,  
 & sudore paratur.

§. IV.